

pos quos Origenes refert contrarium fecisse, ipsemet dicit extra scripturam dixisse, & contra scripturam fecisse. Sicut adhuc præter sapientia Evaristi placuit, ut secundum Evangelicam & Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito alteri conjugantur: sed ita maneat, ut sibi inter se reconciliantur. Quod si contempserint, ad poenitentiam redigantur. In qua causa legitur imperialem petendam promulgari. *Quicumque dimiserit uxorem suam ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur.* Si ergo uxore dimissa, duci alia de jure non potest, fortius & ipsa retenta. Hæc Innocentius, qui hæc dicens nihil, ut ex verbis illius constat, novum statuit: sed solum arguit ex eo quod certo credidit esse de jure divino. Alexander tertius qui hæc Innocentium præcessit, in cap. Ex parte, de sponsalibus & matrimoniis, per hæc verba definit. Quia nemo licet uxorem suam sine manifesta causa fornicationis dimittere, & tunc eam sibi reconciliare debet, aut ipsa vivente continere, mandamus quatenus eundem, ut super inducitur dimissa, ad uxorem suam redeat, & eam maritali affectione pertractet; monitione præmissa, per Ecclesiasticam censuram cogatur. Hæc Alexander tertius, qui nullum in hac parte novum decretum statuit: sed præcepit, ut fieret juxta id quod constabat esse de jure. Ante hos duos summos Pontifices, per multa sæcula præcessit Innocentius Papa hujus nominis primus, qui in epistola ad Exuperium Tholosanum Episcopum, à quo de hac re fuerat interrogatus, capite sexto per hæc verba responder. De his etiam requisivit dilectio tua, qui interveniente repudio, alii se matrimonio copularunt, quos in utraque parte adulteros esse manifestum est. Qui vero vel uxore vivente, quamvis dissociatum videatur esse conjugium, ad aliam copulam festinarunt, neque possunt adulteri non videri, in tantum, ut etiam hæ personæ quibus tales conjuncti sunt, etiam ipsæ adulterium commississe videantur, secundum illud quod legitur in Evangelio: *Qui dimiserit uxorem suam, et duxerit aliam, moechatur.* Similiter & qui dimissam duxerit. Hæc Innocentius primus, vir quidem sanctitate & doctrina clarissimus. In cujus verbis id potissimum annotandum est, quod nullum tunc statuit decretum sed solum quæstioni sibi propositæ respondet, per testimonia sacre scripturæ. Et hoc annotare oportuit propter Erasmus, qui dicit, solis Pontificum decretis & non divino mandato esse prohibitum viro, qui uxorem suam propter adulterium reliquit, ut alteram ducat. Catharinus etiam in illis suis annotationibus contra Cajetanum, hæc ait. Satis est quod decretis Pontificum hæc persolvit reverentiam, ut juxta illa etiam doceam atque consulam. Hæc Catharinus. Et certe ut ingenue loquar, multo magis in hac parte miror errasse Catharinum quam Erasmus, propterea quod Catharinus à principio suorum studiorum fuit ex professione jurisperitus, & in illa facultate nomen obtinuit antequam ordinem Sancti Dominici proficeretur. Potuit igitur ille optime advertisse, si voluisset, nullum Pontificem de hac re auctoritate propria decretum aliquod, quasi suum statuisse: sed quomodo hæc locuti sunt, solum declarasse quid Dominus in Evangelio statuisset. Et propter hæc causam postquam citavi illa verba istorum trium Pontificum, hoc in illis omnibus annotavi, ut inde ostenderem illos omnes docuisse, hæc nostram sententiam esse ex jure divino, & non ex institutione sua. Nihil jam mihi superesse video, ut hæc nostram & Catholicam sententiam plene probatam relinquam, nisi ut Ec-

clesiæ Catholicæ aperiam de hac re definitionem professam. Concilium Milevitanum cap. 7. suorum decretorum in hac contentione, per hæc verba definit. Placuit, ut secundum Evangelicam & Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito alteri conjugantur: sed ita maneat, ut sibi inter se reconciliantur. Quod si contempserint, ad poenitentiam redigantur. In qua causa legitur imperialem petendam promulgari. *Quicumque dimiserit uxorem suam ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur.* Hæc Concilium Milevitanum: quod etsi provinciale fuisse fatetur, illud tamen ab Innocentio hujus nominis primo fuisse confirmatum, Augustinobid testante, quocognosecimus. Hæc autem verba ad majorem illorum confirmationem potest in Concilio Africano capite 79. eodem profus ordine reparita sunt. Sed ne quis adhuc contendat ambo hæc Concilia fuisse provincialia: profero Concilium Florentinum, quod citra omnem dubitationem fuit generale, ad quod Græci & Latini conveniunt. Hoc autem Concilium in definitione fidei Armenis datam, de sacramento matrimonii loquens, per hæc verba definit. *Ad signatur autem triplex bonum matrimonii. Primum est proles suscipienda & educanda ad cultum Dei. Secundum est fides quam unus conjugum alteri servare debet. Tertium indivisibilitas matrimonii, propter hoc quod significat indivisibilem conjunctionem Christi & Ecclesiæ. Quamvis autem ex causa fornicationis liceat thori separationem facere: non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum matrimonii vinculum legitime contractum perpetuum sit. Hæc Concilium Florentinum.* Si quis tamem contentiosus Cajetano patrocinari vultens, dixerit, definitionem illam fidei Armenis datam non esse à toto Concilio, sed à solo Eugenio Papa post solutionem Concilii editam, minime poterit hac via illum juvare: quoniam Cajetanus ipse alibi docet, Papam in definitionibus fidei errare non posse. Deinde Cajetanus in illo suo opusculo de comparatione auctoritatis Papæ & Concilii capite primo & tertio aperte testatur doctrinam illam sacramentorum Armenis datam, à toto Concilio fuisse editam. Et hoc opusculum multo ante addidit ille, quam sacram scripturam commentari tentasset, in cujus commentariis hæc de divortio protulit sententiam. Quapropter ego non video quomodo ille in hac parte excusari possit, cum consilet illum generalis Concilii definitionem optime novisse, contra quam non est veritas sentire & publice docere. Hæc tamen ego non dico, quia personam illius ob hæc causam accusare velim. Nam ego in hoc opere, ut alias sæpe me dixisse memini, non contra personas, sed contra falsas & hæreticas doctrinas agere statui. Possibile etiam est, ut licet illam fidei definitionem à Concilio Florentino Armenis datam legisset, quam opusculum illud scripsit longo tamen postea tempore elapso quam scripsit illa commentaria super Evangelia, non fuit memor illius Concilii Florentini, quod antea legerat. Non enim omnia quæ legitimus perpetua memoria retinemus. Et ideo nolo personam illius propter hunc errorem damnare, præsertim cum in hac sententia, ut jam à principio dixi Ecclesiæ definitioni se subdidit. Sed jam opus est, ut respondeam ad versariorum argumentis, quibus illi se motos fuisse dicunt, ut præfatam doctrinam tuerentur. *Primo quidem argumentantur Erasmus & Catharinus durum esse, ut his qui sine culpa sua, sed propter solam uxoris fornicationem, illam dimisit, cogatur ad continentiam servandam, præsertim si talis est natus, ut ad carnales coitus sit pronus. Hanc argumentationem vehementer*

ter exaggerat Catharinus, & multa circa illam verba expendit. Sed hæc argumentationem per multa sæcula antea proposuerat Pollentius ille, ad quem Augustinus tractatum illum suum de adulterinis conjugijs scripsit. Erasmus igitur & Catharinus, ego melius respondere non potero, quam illi Pollentio respondit Augustinus libro secundo de adulterinis conjugijs, capite decimo sic inquires. Sed respondes mihi, Continententer vivere paucorum est. Et ideo qui fornicantes conjuges dimiserunt, quoniam non possunt reconciliari, tantum se vident periclitari, ut legem Christi non humanam, sed feralem pronuntiant. O frater, quantum ad incontinentes pertinet, nullas querelas habere possunt, quibus ut dicis legem Christi feralem pronuntiant, non humanam. Et tamen non propter illos Evangelium Christi pervertitur vel mutare debemus. Te quippe sola illorum querela permoveret, ut qui conjuges causa fornicationis intercedente dimittunt, si alia ducere non sinantur: quoniam continere paucorum est, atque ad id debent laude exhortari, non lege compelli. Itaque si dimissa adultera non ducitur altera, justam querelam, sicut putas, habebit hominum incontinentia. Sed attende quam plura sunt, ubi si querelas incontinentium velimus admittere, necesse non bis erit adulteria permittere. Quid si enim aliquo dicitur non & insanabili morbo corporis teneatur conjuæ, quod concubicus impediatur? Quid si captivitas vel vis aliqua quæ separet, ita ut sciat vivere maritus uxorem, cujus sibi copia denegatur, confesne admittenda incontinentiam murmurat, & permitenda adulteria? Quid in hoc ipso unde interrogatus est Dominus, responditque fieri non debere, sed ad duritiam cordis eorum Moysen permisisse dari libellum repudii, & quacumque causa dimittere uxorem? Nonne lex Christi incontinentibus displicet, qui uxores litigiosas, injuriosas, imperiosas, fastidiosas, & ad reddendum debitum conjugale difficillimas, repudio interveniente abjicere volunt & aliter eas ducere? Hæc Augustinus. Eodem modo respondit Innocentius tertius in capitulo, Quanto, de divortijs. Sed quantum ad illud exemplum de homine secundo quod illic proponit Innocentius, aliqui objiciunt dictam quoddam Gregorii junioris, quod citatur à Gratiano in cap. Quod proposuisti. 32. quest. 7. Ad hoc tamen respondet, & bene Gratianus, quod Gregorius ille sic definiendo erravit, quamquam glossa in illo loco nititur illum Gregorium excusare. Secundo argumentantur adversarii ex hoc quod vir non tenetur uxori, neque uxor viro, nisi ad reddendum carnale debitum, & ad cohabitationem, & mutuum obsequium. Ab his autem omnibus absolvitur per divortium conjux innocens in poterit favore concessum est divortium: ergo saltem ille poterit transire ad secundas nuptias. Ad hoc argumentum facile respondetur negando primum assumptum illius. Ut autem apertius illius falsitatem ostendam, admoveo lectorem ut advertat, quod post quodlibet contractum & ratum matrimonium confurgit inter ipsos conjuges duplex obligatio mutua. Altera est affirmativa qua sibi invicem reddere tenentur carnale debitum & mutuum obsequium: & hæc profus tollitur per divortium. Altera est negativa, qua quilibet illorum tenetur non reddere alteri copulam carnalem, nisi illi soli cui se alligavit per matrimonium, & hæc non tollitur nisi per mortem alterius conjugis. Et de hoc vinculo solo intelligitur illud Pauli: *Mulier alligata est viro quanto tempore vir ejus vivit.* Et ex intelligentia hujus obligationis colligitur etiam clarior responsio ad argumen-

tum præcedens, ut intelligant Erasmus & Catharinus, non esse durum & asperum cogere ad continentiam virum qui uxorem suam propter adulterium reliquit, & non vult se illi reconciliari. Nam quantum matrimonium cum illa contraxit, ipse se ad hæc duritiam & asperitatem tolerandam obligavit, quo fit, ut quod à principio promissum, postea sit obligatus tenere. Neque in hoc fit illi injuria, quia sciens tale vinculum esse in matrimonio, voluntarie se tali vinculo ligavit. Scienti autem & volenti, ut regula ait, non fit injuria. Tertio sic argumentatur adversarii. Id quod Dominus dixit juxta thronem legis antiquæ: *Qui dimiserit uxorem suam, det illi libellum repudii,* intelligendum est de dimissione perfecta, quæ non solum est quoad thorum, sed etiam quoad vinculum, quod negari non potest, quia sic lex olim intelligebatur: ergo quod Dominus locutus est de dimissione Evangelica, quæ est propter causam fornicationis, eodem modo intelligendum est de dimissione perfecta, non solum quoad thorum, sed etiam quoad vinculum. Hoc argumentum tanti facit Catharinus, ut dicat se non videre quid dici valeat, quod erudito pectori satisfaciat. Et certe hujus argumenti non fuit ille primus inventor, quia ante illum Erasmus scripserat in suis annotationibus super septimum caput prioris epistolæ ad Corinthios, sic dicens: Atqui divortium, inquit, approbat Ecclesia, sed hæcenus, ut uterque maneat ut inconjugatus. Obsecro te an de hoc divortio sentit Christus? A Judæis interrogatur, Judæis respondet. At illi nullum aliud novant divortium, nisi quod adimeret jus repetendi dimissam, & daret jus ducendi alteram. Hæc Erasmus. Sed hoc argumentum, quod isti tanti faciunt, ego nihili facio: quia confidero diligenter & attente quædam alia verba quæ Christus Salvator noster dixit parum ante illa de quibus nunc disputamus. *Nisi abundaverit (inquit Math. 5.) justitia vestra plusquam Phariseorum & Scribarum, non intrabitis in regnum celorum.* Quibus præmissis statim progressus est ad reformandos illos errores, quibus Pharisei & Scribæ erant infecti, & populum inficiebant. Emendabit itaque in omnibus illis id quod male illi ante docere solebant. Et unum ex illis erat in repudio uxorum suarum, per quod illi putabant se esse solutos à vinculo uxoris, quam repudiabant. In quo maxime errabant: quia licet permixtum erat illis, ut post repudiatam unam, alteram ducere possent, sic tamen facientes peccabant: quia contra jus naturæ faciebant, in quonemo potest dispensare, nisi ille qui est supra naturam. Ad hoc ergo serviebat illis permissio, ut non propter hoc punirentur, sic dimittentes uxores suas: non autem ut liberi essent à peccato. Nam quia peccabant sic facientes, ideo Christus postea non dixit, Deus permisit, sed Moyses. Et hoc annotavit Hieronymus in commentariis super Matthæum interpretans illa Salvatoris verba, *Moyses ad duritiam cordis vestri, &c.* Ubi hæc ait: Quod dicit istiusmodi est. Numquid potest Deus sibi esse contrarius, ut aliud ante jasserit, & sententiam suam novo frangat imperio? Non ita sentiendum est: sed Moyses cum videret propter desiderium secundarum conjugum quæ vel ditiores, vel juniores, vel pulchriores essent, primas uxores interfecit aut malam vitam ducere, maluit indulgere discordiam, quam odium & homicidia persequere. Simulque considera, quod non dixit: Propter duritiam cordis vestri permisit vobis Deus, sed Moyses: juxta Apostolum consilium fit hominis, non imperium Dei. Hæc Hieronymus. Est adhuc aliud considerandum, quod non dixit Christus Moysen præcepisse, sed

sed permittit. Et inde colligitur malum fuisse repudium, quia mala sunt quæ fieri permittuntur: bona vero aut præcipiuntur, aut de illis consilia dantur. Et hoc annotavit Chrysostronus in opere imperfecto super Matthæum, vel quisquis est illius operis auctor, homilia. 33. hæc dicens, Bene dixit, quia Moyses hoc permittit, non præcepit. Aliud est præcipere, aliud est permittere. Quod enim præcipimus semper placet: quod autem permittimus, nollentes præcipimus: quia malam voluntatem ad plenam prohibere non possumus. Hæc ille. Sic autem permittens Moyses non male fecit, sed bene: quia ut majus malum, puta homicidium vitaret, permittit minus. Oportet tamen, ut omnia recte intelligantur, tria in hoc negotio considerentur, quorum primum Moyses prohibuit: Alterum permittit: Tertium præcepit. Prohibuit quidem dimittere uxorem sine causa. Permittit dimittere uxorem ex causa turpiudinis, si illa turpis fuisset. Præcepit dare libellum repudii, si illam dimitteret, ut per hujus libelli donationem averteret illos ab hujusmodi uxorum dimissione. Nam dato libello repudii non poterat amplius ad illam uxorem redire, ut habetur in Deuteronomio cap. 24. nec poterat uxori postea reconciliari. Et in hoc sicut in quibusdam aliis, illud repudium veteris legis differt à divortio legis Evangelicæ, quia in lege Evangelica post sunt conjuges post divortium factum sibi invicem reconciliari. In donatione libelli, quæ erat præcepta, non erat peccatum. In dimissione autem uxoris, quæ erat permittit, committebatur peccatum, quia solvebatur vinculum matrimonii, quod ex lege naturæ erat indissolubile. Judæi ergo Christus loquens, quom abicere vellet libellum repudii, qui in veteri lege erat præceptus, usus est verbo dimissionis, juxta sensum in quo Judæi capere solebant. Quom autem post abrogatum repudium veteris legis, statuit divortium, juxta legem Evangelicam, non utitur illo verbo ut significat dimissionem quoad vinculum, sed solum quoad thorum. Quia sicut legem strictiorem quam erat vetus, statuebat, vel ut rectius loquar, restituebat, ita etiam strictiori tunc verbi significatione est usus, volens ut justitia nostra abundaret plusquam Phariseorum & Seribarum. Et hæc est ut significatione, Christus ipse aperissime ostendit, per verba quæ statim subjungit, dicens: *Et qui dimissam duxerit, adulterat.* Nam per illa verba aperte indicavit eam, quæ à viro dimissa est, uxorem esse illius à quo dimissa est: quoniam ut jam supra diximus, non adulteraret qui illam duceret, nisi illa esset uxor illius à quo dimissa est. Christus ergo illam dicit esse à viro dimissam quæ solum dimissa est quoad thorum. Sed Erasmus irridet hujus verbi usum ad tam strictam significationem, dicens nunquam inveniri apud probatos auctores hoc verbum dimittere, capi ad significandum solum dimissionem quoad thorum. Numquid Christum vult Erasmus grammaticorum regulis alligare? Aut Christum ipsum vult accusare, quod male illius verbi significatione sit usus? Nonne ipse Erasmus sæpe alias fatetur, multa esse in sacris litteris, quæ juxta exactam grammaticam aliter essent scribenda? Sed his omnis volo Erasmus ostendere probatum auctorem qui verbo isto usus est, ut significet solum thori separationem. Nam Chrysostr. in illa præfata hom. 33. operis imperfecti super Matthæum, juxta illam significationem usus est illo verbo, sic dicens, Qui dimittit conjugem suam, & aliam non accipit, adhuc maritus est. Cum ergo aliam accepit, tunc plene dimittit. Hæc ille. In quibus verbis constat illum duos dimissionis modos statuere, unum quo quis sic dimittit

uxorem, ut aliam ducat, & hæc dicit esse plenam dimissionem. Alterum quo sic dimittit uxorem, ut tamen aliam non ducat: & illum qui sic dimittit, dicit adhuc esse maritum illius quam dimittit. Postquam jam adeo sufficienter respondi ad argumentum adversariorum, ut cuilibet viro sapienti satisfacere possum, possum facile ipsum eorum argumentum in illos retorquere, prout superius obiter insinavi. Si Christus de dimissione quoad vinculum est locutus: ergo superflue addidit illa verba, *Et aliam duxerit*, quia tunc solum vir dimittit uxorem quoad vinculum, quando aliam ducat: quia antequam aliam ducat, adhuc potest dimissam reconciliare sibi. At Christus nullum verbum superfluum dixit: quia ut Propheta Regius de illo dicit, *(Psal. 1.) solum dicit non defluet.* Ergo Christus non est locutus de dimissione quoad vinculum, sed solum quoad thorum. Quarto sic argumentatur adversarii. Si de sola dimissione quoad thorum Christus fuisset locutus, non sola causa fornicationis fuisset excepta: quia etiam propter alias causas potest esse licita separatio thori, ut puta si ex amborum consensu ingrediatur religio, aut propter periculum uxoricidii. Fateor quidem alias esse causas propter quas licita potest esse separatio conjugum quoad thorum, dimissionem tamen illam majorem habere causam quam sit fornicatio, propter quam Deus concessit posse fieri separationem. Causa autem fornicationis ideo est justa ad separationem thori, quia ipsa fornicatio conjugis est contra fidem matrimonii: & ideo justum est ut deinceps alter non teneatur illi, qui fidem non servavit. At magis est contra matrimonium uxoricidium, per quod tollitur vita & propria uxoris existentia, quam adulterium per quod solum violatur fides sine ablatione vitæ. Uxoridicium est contra conjunctionem animorum, adulterium contra conjunctionem corporum. Matrimonium autem, ut Chrysostronus ait in illa præfata homilia. 33. operis imperfecti, non facit coitus, sed voluntas. Deinde, major est obligatio uxoris ad conservationem propriæ vitæ quam ad reddendum debitum viro. Et ideo omnes Theologi censent nullum conjugem teneri ad reddendum alteri conjugale debitum, quando talis redditio debiti vergit in apertum damnum incolumitatis propriæ: quia magis tenetur ad conservationem proprii individui, quam ad conservationem speciei, ad quam tendit talis redditio debiti conjugalis. De aliis autem molestiis quas viri solent inferre uxoris, censo nullam earum esse satis ad faciendam vel thori separationem. Illi vero qui ex mutuo consensu ingrediuntur religionem, non sunt censendi quod se invicem dimittant, sed quod quilibet renuntiat juri suo quod habet supra alium. Nam dimissio non dicit solum separationem conjugum, sed denotat ultra hoc aliquod crimen in illo qui dimissus est. Propter hoc enim solus innocens dicitur dimittere alterum qui adulteravit, & contrario non dicitur adulterum dimittere innocentem. Quinto sic arguuntur Cajetanus. Si alter conjugum infidelium convertatur ad fidem, potest dissolvi matrimonium inter illos contractum, propter alterius fornicationem spirituales, ergo etiam poterit dissolvi propter alterius conjugis fornicationem carnalem. Ad hoc argumentum respondet Catharinus in illis suis annotationibus contra Cajetanum, & dicit magnum esse inter illa duo matrimonia discrimen. Quia matrimonium infidelium non est ratum, & ideo potest dissolvi: matrimonium autem fidelium est ratum, & ideo dissolvi non potest. Hoc discrimen reddit Innocentius tertius in cap. Quanto, de divortiiis. Potest adhuc aliter responderi ad

at-

argumentum, & dico fornicationem spirituales, quæ est per infidelitatem, esse multo majorem, quam fornicatio carnalis: & ideo ex ista potest colligi optime illa, ita ut si ista dissolvit, & illa: arguendo à minori ad majus affirmativè. Non licet autem ex illa colligere istam, ita arguendo: si illa dissolvit: ergo ista. Quia sic arguendo arguitur à majori ad minus affirmativè, quod est ineptissimum argumentum. Non enim oportet, ut id quod minus est, possit efficere id quod majus efficit. Contra hunc errorem quem primum Erasmus illum docere cepit, scripsit quidam Joannes Deitemburgius. Post istum aliquanto tempore interjecto scripsit contra eundem Brasmi errorem Robertus Genales, ex Academia Parisiensis.

Sexta hæresis adversus nuptias, aut matrimonium exorta est, quæ sic extollit nuptias, ut eas non vereatur equare virginitati. Sed de hac hæresi infra disseremus, in titulo de virginitate. In quo loco pro ipsa virginitate pugnavi decrevi, & utinam tam facile hostes illius carnales vincere possem, quam facile de hostibus illius spiritualibus, Deo adjutore, me triumphaturum spero.

OBEDIENTIA.

OMNES scelerati, ac facinorosi homines quo facilius & liberius, quæ voluerint scelera committere possint, libertatem optant, vel ut verius dicam, liberam servitutem, quoniam juxta illam, quam capiunt libertatem miseriam servituti se addicunt, Salvatore nostro dicente: *(Joann. 8.) Qui facit peccatum servus est peccati.* Hæretici aliqui timentes, ne propter sua scelera, & venenosas doctrinas à praelatis Ecclesiæ punirentur, juxta potestatem à Deo illis collatam, ad hoc asylum confugerunt, ut eorum plures negaverint obedientiam esse præstandam Prælati Ecclesiæ. Hujus erroris primi auctores fuere Valdenses, impii ac sceleratissimi homines, qui more viperarum, viscera matris Ecclesiæ, à qua per baptismum fuerant geniti, rodere conati sunt. Hi enim omnem Ecclesiæ potestatem, & ordinem tollere volebant, dicentes non esse obediendum Romano Pontifici, aut aliis Ecclesiæ Prælati. Eundem errorem docuerunt Pseudo-apostoli, Vviclephitæ, Hussitæ: & nunc Lutherani dicunt non esse obediendum Prælati Ecclesiæ, nisi in illis solum, quæ in sacra scriptura sunt apertissime expressa, Begardi, & Beguinæ dixerunt eos, qui ad perfectionis statum pervenerint, non esse alicui humanæ potestati subiectos. De his omnibus hæreticis, & de errore illis omnibus communi, jam supra satis (ut opinor) diximus in titulo de Ecclesia, hæresi tertia: quo loco ostendimus Ecclesiæ posse condere leges, & statuta quæ non sint expressa in sacris litteris: cuius constitutionibus quilibet tenetur obedire: non est ergo opus illa iterum repetere.

OCCIDERE.

Inter alios Valdensium errores, quos Guido recenset, hic unus est, quo docent nullum hominem posse occidi justè, etiam si id fiat ex judicii præcepto. Eundem errorem postea docuit, quidam Nicolaus Galeus ex Bohemia oriundus, qui fuit unus de legatis à Bohemia ad Concilium Basiliense missis. Hic error aperte convincitur: quia per illum tollitur humanus convictus, & omnis honesta politia pervertitur, quoniam per hanc doctrinam

Tom. I.

nam nulla erit pax: at pace sublata, nulla respublica potest salva consistere, nec homines in ea quiete vivere. Cum ergo pax sit nobis tam necessaria, ut eam nobis Christus ex maximo affectu commendaverit, & quasi testamento eam nobis prope mortem legaverit, convincitur illam doctrinam esse erroneam per quam pax totius reipublicæ turbatur. Turbatur autem pax, nisi scelerati & malefici occidantur. Hæresis est ergo asserere non posse occidi. Omnis enim respublica est velut corpus quoddam humanum, cuius caput est Dominus & restor: alii autem homines sunt invicem membra. Apostolus Paulus totam Reipublicam Christianam, hoc est Ecclesiam, vocat unum corpus, cuius caput est Christus: singuli autem homines alter alterius membra. *(Rom. 12.)* Si autem in corpore humano, aliquid particulare membrum laboraverit aliquo morbo, homo cuius membrum male habet, procurat omnibus modis, quibus potest illud restituere in pristinam sanitatem; omnino adhibet medicinam, admoveat fomenta quæ potest. Quod si nulla via potest illi membro subveniri, libenter patitur incisionem, quoniam præstat perdere unum membrum, quam perdere totum corpus. Ad hunc modum fit in Republica, cum quilibet homo sit tamquam particulare membrum in corpore, quod est respublica. Si talis homo commiserit aliquid grave crimen, laborandum est ad ejus emendationem: Quod si nulla est spes de emendatione illius, oportet illum perdere usque ad mortem, & separare à toto corpore, ne reliqua membra inficiat. Unum enim pecus inficit omne pecus. Quod si nunquam esset mors indigenda, terra esset plena latronibus, mare piratis, nulla essent res tutæ. Ut ergo sit debita in populo quies, & tranquillitas, expedit ut sceleratus homo occidatur, ne tota gens pereat. Præterea supra cum de bello ageremus, ostendimus bellum posse justè geri ab homine habente potestatem, si ea adiunt quæ ad justum bellum exiguntur. At cum non possint homines in bello congregari, quin sæpe multis in eo fiant hominum occisiones, convincitur inde, ut si bellare licet, liceat etiam occidere. Rursus beatus Petrus Apostolus punivit morte Ananiam, & Saphiram, quia vendito agro fraudaverunt de pretio, non portantes coram Apostolis totum pretium, sed aliquid sibi reservantes. *(Act. 5.)* Et hoc solum exemplum sufficit ad prosternendum horum hæreticorum hæresim, quoniam hoc in tempore novæ legis actum est, quo tempore propter legis benignitatem dicunt non esse licitum, quantumque ex causa hominem occidere. Petrus tamen hanc benignitatem agnoscentes, non dubitavit morte punire Ananiam, & Saphiram, quoniam sciebant veram misericordiam habere semper in suo comitatu justitiam, quæ non patitur maleficos vivere super terram. Sed hoc loco obijciunt nobis hæretici præceptum divinum, quo prohibet occisionem, dicens: *(Erod. 20.) Non occides.* Hanc autem objectionem respondemus, per illa verba non esse prohibitam omnem occisionem, sed illam quæ à persona privata fit, non autem illam, quæ à iudice ex justa causa deseritur indigenda. Hoc autem ita esse ex eo convincitur, quod in lege veteri erat illud idem præceptum, & sub eisdem verbis, videlicet, non occides: & tamen cum illo præcepto fuerunt multe aliæ leges, quibus præcipiebatur hominis occisio propter peccata aliqua, ut patet de punitione blasphemii & definitione furis nocturni. *(Lev. 24.)* Quod si per illa verba, videlicet, non occides, esset prohibita quælibet hominis occisio: esset tunc necessarium fieri Deum præcepisse contraria, quæ nullo modo fieri poterant.

Lzzz

Ab.